

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO**

*Ph.D. Level Medieval Latin Examination*

**7 September 2007**

\*\*\*\*\*  
Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**  
.....

**1. The consequences of the Fall (Augustine)**

Diximus iam superioribus libris ad humanum genus non solum naturae similitudine sociandum verum etiam quadam cognationis necessitudine in unitatem concordem pacis vinculo conligandum ex homine uno Deum voluisse homines instituere, neque hoc genus fuisse in singulis quibusque moriturum nisi duo primi, quorum creatus est unus ex nullo, altera ex illo, id inoboedientia meruissent, a quibus admissum est tam grande peccatum ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati et mortis necessitate transmissa. Mortis autem regnum in homines usque adeo dominatum est ut omnes in secundam quoque mortem, cuius nullus est finis, poena debita praecipites ageret nisi inde quosdam indebita Dei gratia liberaret. Ac per hoc factum est ut, cum tot tantaeque gentes per terrarum orbem diversis ritibus moribusque viventes multiplici linguarum armorum vestium sint varietate distinctae, non tamen amplius quam duo quaedam genera humanae societatis existerent, quas civitates duas secundum scripturas nostras merito appellare possemus.

## 2. Cuthbert temporarily leaves his hermitage (Alcuin)

Est locus oceano dictus cognomine Farne,  
insula fontis inops et frugis et arboris expers.  
Hanc petit intrepidus Christi bellator opimus  
contemplativos cupiens et carpere flores;  
ipse Deo soli solus servire satagit,  
ne mundanus honor mentem mutaret alacrem.  
His heremita sacer non parvo tempore vixit;  
saepius angelicis felix affatibus usus  
toxica mortiferi vincebat tela draconis.  
Attamen abstractus multis rogitantibus inde  
tandem consensit secretam linquere sedem,  
pontificisque gradum, populis et rege coactus,  
quandoque suscepit cunctis orantibus illum;  
nobiliter binis digne quem rexit in annis,  
plurima conquirens animarum lucra Tonanti,  
et bene commissum sibimet servavit ovile,  
ne lupus insidians Christi deroderet agnos.  
Sed mox mundani culmen vitavit honoris  
ipse petens iterum soliti secreta cubilis  
atque ibi praesentis spectaverat ultima vitae.

### 3 Scipio on the fate of souls after death (Macrobius)

Haec enim illius sunt praecepta doctrinae quae illam dicit mortem philosophantibus appetendam, ex qua fit ut adhuc in corpore positi corpus ut alienam sarcinam, in quantum patitur natura, despiciant; et facile nunc atque opportune virtutes suadet, postquam quanta et quam divina praemia virtutibus debeantur edixit. Sed quia inter leges quoque illa imperfecta dicitur in qua nulla deviantibus poena sancitur, ideo in conclusione operis poenam sancit extra haec praecepta viventibus, quem locum Er ille Platonius copiosius executus est saecula infinita dinumerans, quibus nocentum animae in easdem poenas saepe revolutae sero de tartaris permittuntur emergere et ad naturae suae principia quod est caelum, tandem impetrata purgatione remeare. Necessesse est enim omnem animam ad originis suae sedem reverti, sed quae corpus tamquam peregrinae incolunt cito post corpus velut ad patriam revertuntur, quae vero corporum illecebris ut suis sedibus inhaerent, quanto ab illis violentius separantur, tanto ad supera serius revertuntur.

### 4. Edict of Frederick II on heretics (1232)

Commissi nobis celitus cura regiminis et imperialis, cui dante Domino presidemus, fastigium dignitatis materialem, quo divisim a sacerdotio fungimur, gladium adversus hostes fidei et in exterminium heretice pravitatis exigunt exerendum, ut vipereos perfidie filios contra Deum et ecclesiam insultantes, tamquam materni uteri corrosores, in iudicio et iustitia persequamur.... Statuimus itaque sancientes, ut heretici, quocumque nomine censeantur, ubicumque per imperium dampnati fuerint ab ecclesia et seculari iudicio assignati, animadversione debita puniantur. Si qui vero de predictis, postquam fuerint deprehensi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei unitatem, iuxta canonicas sanctiones ad agendam penitentiam in perpetuum carcerem retrudantur. Preterea quicumque heretici reperti fuerint in civitatibus, opidis seu locis aliis imperii per inquisitores, ab apostolica sede datos et alios orthodoxe fidei zelatores, hii qui iurisdictionem ibidem habuerint ad inquisitorum et aliorum catholicorum virorum insinuationem eos capere teneantur et captos artius custodire, donec per censuram ecclesiasticam condemnatos dampnabili morte perimant.